

2

RECTOR
ACADEMIÆ LI-
PSIENSIS,

In funere

Matronæ Clarissimæ

MARGARITÆ,
VIDUÆ KESTIANÆ,
cives invitata ad exequias.



Biogr. erud.

D. 1598, 66

Handwritten notes on the left side of the page, including a curved line and some illegible characters.

Faint, mirrored text from the reverse side of the paper, appearing as bleed-through.

Handwritten notes on the right side of the page, including a curved line and some illegible characters.

Handwritten numbers and symbols, possibly a calculation or list.

Handwritten notes at the bottom of the page, including a curved line and some illegible characters.



si **S**i T virtus non deligit se-
xum, ut Senecæ videtur, non de-
fuere tamen, qui quod virtutum
proprium est præmium, laudem
ac nominis celebritatem fœmi-
nis detrahere voluerunt. Tan-
quam inter primas earum sit lau-
des, si foris de se quàm minimus
sit sermo. Quod qui sentiunt, illi
famam mulieris una cum corpo-
re eodem angulo concludunt,

publicoq; perinde interdicunt. At nostris moribus aliud re-
ceptum, Romanorum instituta probantibus, qui non minus
mulieres atq; viros post mortem publicè pro dignitate lauda-
bant. Aliam enim formæ aliam famæ esse rationem convenit;
Quarum hæc nec fama dici potest, cum paucis cognita est: Illa
verò tum demum laudatissima, cum paucis cognita, habetur.
Quæ verò invidia sit, si eadem viri ac mulieris virtus est, idem
de eâ non esse iudicium? Ecquis perfectam à muliere picturam
quæ cum Apellis aut Nicomachi arte certare possit, laudandam
propterea minus censeat, quod à muliere sit? Aut Sapphus car-
mini, quod Anacreontis non sint, Sibyllæ oraculis, quod au-
ctorem non habeant Bacidem, detrahare ideo velit? Quare
cum nec seculum nostrum virtute muliebri effectum sit, me-
ritis etiam laudibus hic sexus nobis non erit defraudandus. Fu-
erunt olim, qui contendere Semi ramidem magnificentiâ cum
sesostre,

Sesostre, Tanaqvilem cum Servio prudentiâ, magnanimitate
Porciam cum Bruto, Timocleam cum Pelopidâ potuerunt:
Nos verò si nostras aliquas cum sanctis in historiâ sacrâ celebra-
tis componeremus, intra eundem nos sexum continentes, nihil
nobis præter rem dixisse videremur. Quod officium præterquam
quod à nobis non requiratur, supervacuum etiam reddit Ma-
trona laudatissima, cujus supremas in publico laudes propone-
re pro more non possumus, quin sua cujusq; cæterarum simul
elogia repræsentemus. De unâ itaq; dicamus, atq; dicemus
ita, ut, quas alii sollicitè conquirent, nos, in præsentia præ-
tereamus laudes, ut de summâ earum duntaxat delibemus pau-
ca. Subeunt enim magna Matronæ hujus ornamenta, seu tu
genus respicias, quod est honestissimum, seu felicitatem ex con-
jugio, quæ rarissima, seu pietatem, & reliquum matrona lede-
cus inlpxeris, nihil non laude dignum, nihil vulgare occurrat.
Hinc parentis Petri Crameri, familiæ sanctitas atq; integritas.
Quem in Menapiis, Aquisgrano, delitiis olim illis Caroli Magni
oriundum, vel sola patriæ nobilitas celebrem efficere poterat.
De cujus nomine hujusq; auctore, ne ad fabulas deflexisse ora-
tio videatur, nihil jam dicam. Hoc inter omnes convenit, se-
dem hanc & caput Teutonici regni à Carolo M. certâ sanctio-
ne constitutam; Hanc à Carolo IV. Regis Romanorum coro-
nationi dicatam; Hanc custodem regalium Imperii Symbolo-
rum audire. Hinc antiquissima Herteliorum familia, è quâ
Matronæ nostræ mater prodiit. Hinc cognati, virtute ac for-
tunâ memorabiles. Inter hæc familiæ exempla nata, & ad
honestatem, virtutemq; educata Margarita, omne hausit ab ipsis
incunabulis matronalis dignitatis decus. Quod deinceps pro
dote mariti familiæ intulit. Erat is Johannes Cramerus S.S.
Theologiæ Licentiatus, Aulæq; Saxonico Altenburgicæ, nec
non Consistorii Ecclesiastici ibidem à concionibus sacris pari-

ter.

ter & consiliis. Huic quemadmodum ampliorem dignitatem
in solidum ipsa imputabat: Ita maritus vitam in conjugio sua-
viter transactam, debebat ipsi. Quippe curarum, præcipuè quæ
in administrandâ re familiari, velut agmine factò, irruunt, in
se succipiendo partem, simul onus marito levius levius redde-
bat, & quo studiis suis, occupationibusq; publicis se dare totû
posset, effecit. Hæc animum tot laboribus subinde ægrum,
amabili comitate atq; affabilitate insigni leniebat atq; recrea-
bat. Filium etiam peperit Johannem Christophorum, sed in-
tra infantiam primam defunctum. Obiit & parens postea, an-
no seculi vigesimo quarto. Quem casum eò acerbiolem oportet
fuisse, quòd nec superstitem reliquerit sobolem, quam tene-
re pro patre, quam, quærentibus patrem, exhibere: sic oculos
sic ille manus, sic ora ferebat, quam fovere in sinu, quæ pende-
re ex collo, quæ hære in brachiis, quam certatim ad se rapere
familia; Cui reddidisse quod marito debebat, cujus amore præ-
sentis, absentis desiderium temperare potuisset. Et mirum
itaq; , atq; inter exempla continentium viduarum ponendum,
quod tam juvenis, in flore juventutis, vernante adhuc sanguine,
luctum atq; memoriam defuncti mariti per ipsos novem an-
nos sanctissimè servavit. Tandem Apostolici præcepti ad
Timotheum memor luctu posito, ambita à Medico, nostræ æ-
tatis celeberrimo, quem jure omnium hoc ævo, in hac arte
principem appelles, Daniele Sennerto, iterum ad matrimoniû
condixit. Ergo quæ, cum maritum nondum eluxisset, pudici-
tiæ itam integram servaverat laudem, ut nec cultus nec
corporis habitus, nec ætas apta voluptatis suspectam redderet
Maritum jam ita eluxit, ut non voluptatem ex matrimonio
quæsisse, sed pudicitiae laudem in portum penitus, subduxisse
videretur. Illud verò luculentum felicitatis argumentum est,
quæ sitam prioris mariti titulis dignitatem, secundo matrimo-
nio

nio

nio non diminuisse. Virginitatem aliqua, utcunq; inter tot mi-
nantes ei scopulos ac Syrtes, salvam in matrimonium deponere
poterit, At viduitatem tam ægrè sustinuerit, ut de naufragio
periclitata, ni properè primo cuiq; obvio, eam resignarit, atq;
adeo secura pristina à marito dignitatis de consilio Annæ Vir-
gilianæ non passa iri in consilium fuerit:

Solane perpetuâ mœrens carpere juventâ?

Nec dulces Natos, Veneris nec præmia noris?

Id cinerem, aut manes credis curare sepultos?

At verò Matrona nostra non tantum non diminuit statum,
dignitatis pristinum, sed in majus etiam semel atq; iterum au-
xit. Ita Doctorandi, (Sic n. loquimur) vidua, Doctoris uxor,
digna utiq; erat, ex qua sobolem suscepisset familiâ nisi nil
quidquam inter mortales ab omni felicitate absolutum foret.
Quam tamen jacturam ingenio, ac consilio sapientissimè red-
misse nobis videtur, cum ab obitu Sennerti incomparabilis,
optavit sibi pro sobole denuò maritum, Franciscum Kestium,
Medicum clarissimum, atq; collegii Medicorum apud nostra-
tes, Decanum. Quamvis non nisi Dei consilio, atq; aliquo nu-
mine hanc optionem ab eo factam putem. Parere enim natu-
ræ opus est, nec penes matrem ut masculam stirpem, unde fa-
milia conservatur, habeas: Nec penes parentes, ut bonam, ut
frugi, quâ decus familiæ perstet. At ut maritum optes, in cu-
jus thalamo honores integros non solum serves, sed gemines
etiam, id rara & longè major quàm altera felicitas est, in quâ &
cœli consensu, & fortunæ benignitas plurimum pollebant,
Splendidior verò futura, si fuisset diuturnior. At jam non ni-
si triennium iterarus quantumvis tertium duravit thalamus.
Itaq; decrevit supremo hoc maritorum funere defungi
atq; cum isthoc marito omnem penitus spem matrimo-
nii sepelire. Sensit tum demum viduarum fortunam; omnis
generis injurias, oppressiones, ludibria, exactiones. Quæ ma-
la omnia

la omnia constantissimè pertulit, recordatione tot honorifico-
rum conjugiorum solata, quibus ut perfrueretur, propemodū
tanti esse existimavit omnes fortunæ insultus sustinuisse. Hoc
insuper viduis plerisque; felicior, quod immunis ab curâ, quæ a-
lias plerumque; urit, quis parvulos erudiat, quis educat, quis post
obitum suum tutelam suscipiat, Denique; In vitam sanctarum
viduarum, tanquam speculum subinde introspiciens assiduis
precationibus Annam Prophetisam, filiam Phanielis imitari
seriò instituebat, quæ à morte mariti ad octoginta quatuor an-
nos viduitatis onus sustinuerat, non recedens de templo Dei,
diebus ac noctibus insistens jejuniis & obsecrationibus; Recor-
dabatur assiduè Sareptanæ, ut virtutem ejus exprimeret, quæ
suæ suorumque, vitæ Prophetæ famam præferebat, in ipsâ nocte
moritura cū filio, ut superstitem relinqueret hospitem, malens
vitam quam elemosynam perdere, ut loquitur eloquentissi-
mus Hieronymus. Ita & facta est Noëmi, id est, solatio leva-
ta, maritisque; quantumvis, & sine prole mortuis, sæpè Moabiti-
dè nurū aluit. Promta, si fortuna illa tulisset, etiã viduã in Evan-
gelio imitari, quæ universas divitias in gazophylacium misit.
Ita ab ineunte ætate docta, ita ingeniosa, & ad crucem, quod
Christianorum proprium exanimata, morbum qui fuit
ipsi fatalis, eximiã tolerantiam & resurrectionis hætenus suf-
ferebat. Nempe assiduos per septem annorum biennium crurum
dolores. Quibus superioribus humanis tumor immanis ac-
cessit, naturam penitus de potentate dejiciens. Rata itaque ma-
trona providissima jussam se cõvasare, viatico sacrosanctæ syn-
axeos instructa, lampadem olei plenam usque; dum evocare-
tur, tenuit. In ipso meridie Kalendarum Januarianorum venit
quartus ille, at verus sponsus, paratamque; secum ad æternas, de-
duxit nuptias. En vera Annæ illius, de quâ modo diximus,
imago. Illa septem annis à virginitate vixerat cum marito:
Hæc septem annis à conjugio ultimo: Illa Christi (utimur ite-
rum

rum

rum S. Hieronymi verbis) expectabat adven-
quem illa susceperat. Illa vagientem cernebat, ista prædicat
triumphantem. Illa loquebatur de eo omnibus, qui expecta-
bant redemptionem Israel: Hac cum redemptis gentibus clamat:
Frater non redimit, redimet homo: Et de alio psalmo; Homo
natus est in eâ, & ipse eam fundavit Altissimus. Agite proceres
Academiæ, & cives universi, celebrate exequias Matronæ, cu-
jus ad honores si respicimus, fatendum est, satis, si ad contume-
lias, & fortunæ inclementiam, nimium diu vixisse. Vixit vero
ultra LXII annos, in posterum æternum victura. PP. III, Janua-
rii Anno M. DC. LI.

LITSIÆ

Literis RITZCHIANIS.

m
pe
A
f